

VERSION LATINE IMPROVISÉE 1

TITE LIVE, *Histoire romaine (Ab Vrbe condita libri)*, XXI, 43, 3 – 44, 2**Discours du général carthaginois Hannibal à ses troupes
avant la première bataille contre l'armée romaine (218 avant notre ère)**

[43] (3) « Ac nescio an maiora uincula maioresque necessitates uobis quam captiuis uestris fortuna circumdederit. (4) Dextra laeuaque duo maria claudunt nullam ne ad effugium quidem nauem habentes ; circa Padus amnis, maior Padus ac uiolentior Rhodano, ab tergo Alpes urgent, uix integris uobis ac uigentibus transitae. (5) Hic uincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis. Et eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia uobis ea uictoribus proponit quibus ampliora homines ne ab dis quidem immortalibus optare solent. (6) Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra uirtute recipaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent : quidquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne uestrum cum ipsis dominis futurum est ; (7) in hanc tam opimam mercedem, agite dum, dis bene iuuantibus arma capite. (8) Satis adhuc in uastis Lusitaniae Celtiberiaeque montibus pecora consectando nullum emolumentum tot laborum periculorumque uestrorum uidistis ; (9) tempus est iam opulenta uos ac ditia stipendia facere et magna operae pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos. (10) Hic uobis terminum laborum fortuna dedit ; hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. (11) Nec, quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis uictoriam fore ; saepe et contemptus hostis cruentum certamen edidit et incliti populi regesque perleui momento uicti sunt. (12) Nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est cur illi uobis comparandi sint ? (13) Vt uiginti annorum militiam uestram cum illa uirtute, cum illa fortuna taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano terminisque ultimis terrarum per tot ferocissimos Hispaniae et Galliae populos uincentes huc peruenistis ; (14) pugnabitis cum exercitu tirone, hac ipsa aestate caeso, uicto, circumssesso a Gallis, ignoto adhuc duci suo ignorantique ducem. (15) An me in praetorio patris, clarissimi imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniae Galliaeque, uictorem eundem non Alpinarum modo gentium sed ipsarum, quod multo maius est, Alpium, cum semenstri hoc conferam duce, desertore exercitus sui ? (16) Cui si quis demptis signis Poenos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo utrius exercitus sit consul. (17) Non ego illud parui aestimo, milites, quod nemo est uestrum cuius non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego uirtutis spectator ac testis notata temporibus locisque referre sua possim decora. (18) Cum laudatis a me miliens donatisque, alumnus prius omnium uestrum quam imperator, procedam in aciem aduersus ignotos inter se ignorantesque. [44] (1) Quocumque circumtuli oculos, plena omnia uideo animorum ac roboris, ueteranum peditem, generosissimarum gentium equites frenatos infrenatosque, (2) uos socios fidelissimos fortissimosque, uos, Carthaginienses, cum ob patriam, tum ob iram iustissimam pugnatueros. »